

QR. 520, 22.

(X 1853633)

B. m. II, 4

IIa
672

DISPUTATIO PHILOLOGICA

De

SCRIBIS VETERUM GRÆCORUM, ROMANORUM atq; GERMANORUM,

Quam

Divinâ annuente Gratiâ,

In celeberrimâ VVittebergensi Academia,

Ad diem 15. April. A. R. S. M. DC. LXIIX,

In Auditorio Minori, horis matutinis,

publica Eruditorum censura

exponunt

PRÆSES

M. JACOB. ERNESTUS *Hergött/*

Hydropolitanus,


&

RESPONDENS

JOHANNES VVOLFGANGUS *Bürger/*

Onoldinus,

Franci.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



1244.

DISSEMINATION OF...

SCIENTIFIC...

IN THE...

...

...

...





I. N. J.

PRÆLOQUIUM.



nter varia hominum genera in hac civili literariaqve universitate non infimum obtinuisse locum Scribas, certum ac indubitatum est. Nam si paulò sollicitiùs veterum Scriptorum volumina introspicimus, eos in illustri crebrò fuisse locò positos, satis eqvidem intelligemus. Nihil jam de Hebræorum Scribis afferemus, quorum authoritatem æqve ac potestatem ipsa deprædicat sacra pagina. Sed excutiemus saltem Europæorū populorum Scribas. Apud hos sanè tãto in hõore collocati sæpiùs fuerūt, ut, quod de Carthagine Historiæ Jugurthinæ Conditor prodidit, id hîc de illis usurpandum nobis in præsens videatur: *Meliùs esse de Scribis tacere, quàm parùm dicere.* Nonne enim ex Scribis quidam summam assecuti dignitatem sunt? Annon maximis penes Græcos olim condecorati laudibus fuerunt? Nonne apud eosdem & Latinos veteres Magistratus & Principum consiliorum arcanorumq; conscii fuère habiti? Apud Germanos quoque summis illos præmiis ab Imperatoribus Principibusq; affectos haud rarò fuisse, quis est, qui inficias ire queat? Si Scribarū igitur ex literis & doctrinâ ortum nomen atq; munus honestissimum sollicitam meretur investigationem; nemini mirum esse videbitur, si nunc in eorum indolem per antiquitatis monumenta paulisper inquiramus. Deus cæpta nostra benignis auspiciis feliciter provehat & dexterrimè secundet!

De

GRÆCORUM SCRIBIS

CAPUT PRIMUM.

§. 1.

A Nomine auspiciandum esse satis graviter monet Scaliger subtilissimus. Hanc igitur legem ne transgredi videamur in præsens,

A 2

sens,

sens, extemplò in hujus vocis significationem inqvisituri sumus. Scribas autem suos Græci Γραμματεῖς, videlicet ἀπὸ τῶν γραμματέων, à literis & eruditione in communi literatos pariter atqve doctos homines, appellavère. Inde etiam duxit originem verbum γραμματεύειν apud Xenoph. quod Scribæ partes agere atqve administrare denotat. Herodotus verò Scriptor vetustissimus & divinus Plato Scribas simul nuncupavère Γραμματεῖς, sive prælectores, recitatores, quoniam publica scripta juxta ac decreta facta rectaqve conservare, & si poscerentur, lectitare, eorum erat officium. Quam in rem plurima adduxit cap. 4. Polymath. Joannes Wowerius, quem vide sis: ut & Cæl. Rhodig. l. 3. Lect. Antiqu. c. 31. itemq; Barb. 50. Adverl. 1.

§. 2. Jam quales penes Græcos quondam Scribæ extiterint, quibus mactati honoribus fuerint, Cornelius Nepos in vita Eumenis Cardiani prodidit: Scriba, inquit, multò apud Græcos honorificentior est, quàm apud Romanos. Nam apud Nos (Romanos puta) revera, sicut sunt, mercenarii Scribæ aestimantur. At apud illos contrariò nemo ad id officium admittitur, nisi honestò locò, & fide, & industriâ cognitâ; quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem. Ubi, ut in Indice ad vocem Scribæ celeberrimus Dn. Bæclerus observavit: Nepos loquitur de ejusmodi Scribis, qui hodiè Secretarii in magnarum potestatum consiliis habentur. Nã quòd Secretarius, quivis mercenarius Scriba & servilis operæ minister appellari cupit, abusui vocis dandum omnes scimus. Ideò requirit ad hoc officium (1) Familie honestatem. (2) Spectatam industriâ, hoc est, ἐπιδεξιότητι τῶν περὶ τῶν πράξεων ἐπιχειρήσεων, promptam facilitatem, qualis in rerum actu dextrè tractandò laudatur. (3) Fidem. Hinc est, quòd Eumenem virum olim incomparabilem collaudaturus, ejusdem dignitatem à munere demonstrat: Eumenes enim, inquit, per adolescentulum ad amicitiam accessit Philippi Amyntæ Filii: breviq; tempore, dum eidem apparuisset, in intimam pervenit familiaritatem. Illò interfectò eodem gradu fuit apud Alexandrum Magnum. Nam utriq; in consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps. Et tandem ille, quem ad manum Scribæ loco habuit Philippus ejusqve Filius, post Alexandri Magni mortem Imperator exercitus duxit summosqve Duces partim repulit, partim interfecit. Sic ergò olim Scriba, (quem aliquando Macedones sibi anteponi indignè ferebant,) labo-

boris sui fructum consecutus amplissimum est, & in cellissimam dignitatis sedem atq; honoris culmen subtilitate ingenii meritorum qve famâ ascendit. Sic & Phyllidas Thebanus honoratus ille civi Archiæ & Polemarchorum aliorum Scriba celebratur ap. *Xenophs* l. 5. & *Plutarch*. in vit. *Pelopida*.

§. 3. Veruntamen non priscis duntaxat seculis apud veteres Grajos, sed temporibus etiam insequentibus, cum Imperatores Græci in Oriente rerum potirentur, maximô habebantur locô Scribæ. Propterea *Gvidus Pancirolus* Comment. in notit. Imper. Orient. pag. 60. refert, *Primicerium* (qui *Protonotarius*, id est, Primus Notariorum à Socrate & Marcellinô nuncupatur) spectabilem fuisse dictum, eiq; *Justinianum* ex canone Phœniciaë quotannis decem libras auri solvi jussisse. Hic enim, teste eodem, per duorum annorum spatium officio præerat, cui succedebat Adjutor, seu *Secundoceri*, huic *Tertioceri*, tum *Quartoceri*, qui secundum, tertium & quartum in laterculo (inde Laterculêses dicti) obtinebant locum. Et hic Primicerius officio defunctus, Senatoriam atq; Magistri officiorum consequabatur dignitatem, Proconsuliq; æquiparabatur. Decem verò primi post Primicerium immunitatem ædium Constantinopoli possidebant, ne hospites recipere tenerentur. Talis Primicerius in aulâ Constantinopolitanâ *ὀμέγας λογοθέτης* nominabatur. Deinceps autem Imperio Græco fracto, *Scribones* appellabantur, jam *Notarii*, jam Præfecti stipatorum corporis Imperatorii, ut observarunt *Nicolaus Rigaltius* & *Johannes Meursius* in *Mixobarb.* conf. & *Barth. 50. 1.* Dicebantur & *Chartularii*; quorum alii *Spectabiles*, à sacro sc. cubiculo, tres quidem, qui Magistratum scribebant codicillos; alii Cohortales officiorum Præsidum, qui largitionales titulos tractabant, & scribebant ideò contractus; uti l. 3. C. Cano. larg. tit. *Zonaras* Equisonibus Imperatoriis Præfectum *Chartularium* etiam, sed patricii dignitate ornatum nominat *annal. tom. 3. in Leone Isauro*. Magna insuper Ecclesia *Constantinopolitana* centum habebat *Chartularios*, in novem classes divisos, qui contractus Emphytevticos & locationes prædiorum, venditiones, & pensiones notabant. Cum enim amplissima haberet in provinciis prædia, alia in Ponto, alia in Asia, & alibi; negotiis cujusq; regionis prædiorum proprii facti erant *Chartularii*: quibus quinquagesima pro contractu Emphytevtico,



centesima pro aliis solvebatur. *Panciroli*. in *Theaur. var. Lect.*
l. i. c. 27.

§. 4. Scribarum autem officium in fideli rerum & tabularum custodiâ situm potissimum erat. Nam apud ipsos instrumentorum publicorum, annalium temporum, gestorum, censuum, reddituum aliorumque id genus negotiorum, fides fuit publica. Ideo (ait *Cassiodorus lib. 12. variar. 21. pag. 404.*) *Scribarum seu Tabellionum officium securitas solet esse cunctorum: quoniam jus omnium ejus sollicitudine custoditur. Alios enim depopulantur incendia, alios nudat furtiva surreptio, nonnullis perit negligentia, quod diligens auctor acquirit, sed de fide publicâ robustissime reparatur, quicquid à privatis amittitur. Armarium ipsius fortuna cunctorum est, & merito refugium omnium dicitur, ubi universorum securitas invenitur. Ad paterna transit officia, si incorruptè sit veritas custodita. Hoc honorabile decus, indisputabile testimonium, vox antiqua chartarum, cum de Scribarum a dytis incorrupta processerit, cognitores reverenter excipiunt, litigantes quamvis improbi, coacti tamen obtemperant.* Plura videbis loc. cit. Scriba ergo non nisi perspectâ virtute & incorruptis moribus, fidi & taciturni apud Principes habebantur viri. De tribus Notariorum ordinibus, ut de Notariis Tribunis, qui ita appellati, quod Tribunis dignitate æqvarentur, de Notariis, qui à notis, quibus plurimum scribebant, sunt vocati, deque Domesticis, qui ab Imperatorum erant secretis, cujus arcana describebant, & onere liberati ad maximum persæpè dignitatis adspirabant fastigium, confer *Excellentissimi Dn. Kirchmajeri, Patroni ac Præceptoris nostri summò Venerandi opere prælectiones publicas Cap. 19. de Veterum Scribis §. 7, & Panciroli loc. cit.* De officiis verò Primicerii Deputatorum & Augustalium, *Cassiodorum lib. 9. var. 31. pag. 377.* Nos progredimur ad

CAPUT SECUNDUM

De

LATINORUM SCRIBIS.

§. 1.

Nunc missis Græcorum Notariis spectabimus Latinorum Scribas. In limine autem notandum confestim est, quod pro temporum varietate Scribæ apud eosdem jam summi, jam infimi subsellii obtinuerint locum. Primis enim Consulibus Romanorum temporibus interdum quoque induti purpurâ fuerunt deprehensi: No-
ta

ta historia *Mutii Scaevola* adolescentis Romani Nobilis est ; qui *Etruscorum* Regem obsidione Romam cingentem per insidias, approbantibus Patribus, in ejus castris aggredi eundemque interficere tentabat, ubi tamen in confertissimâ turbâ prope Regium tribunal conspexit Scribam cum Rege sedentem pari ferè ornatu, & eundem purpuratum (quem, teste *Floro*, Regem ipsum *Porſenam* esse arbitratus est) obruncavit. Scriba igitur Regius vestitus purpurâ (quam Regiæ dignitatis insigne esse novimus) cum fortè stipendium solveret militibus, à *Mucio* datus internecioni fuit. Videatur *Livii Histor. lib. 2. pag. 42.* Ipsum etiam Romanorum Regem *VI. Servium Tullium* Scribam summum, suo modo nuncupari posse, constat. Ab hoc enim (ut tradit *Florus Rom. rer. lib. 1. C. 6.*) *populus Romanus relatus in censum, digestus in classes, curias atq; collegia, summâq; Regis solertiâ ita est ordinata Respublica, ut omnia patrimonii, ætatis, officiorumq; discrimina in tabulas referrentur.* Præterea & *Livius lib. 38. Hist.* annumerat adhuc sub Consulibus non tantùm Scribas publicos Prætoribus, Præfectis Equitum; verùm etiam eosdem, cum pax *Ætolis* promissa esset, ab obsidibus dandis exemptos fuisse testatur inqviens: *Obsesne esto Prætor, Præfectus Equitum, Scriba publicus.*

§. 2. Seculis autem posterioribus, cum Scribarum numerus augeretur, & ipsi Magistratum, cui apparebant, in habendis rationibus defraudarent, adeò eorum ordo despectui habitus, dignitasque tanta passa decremента est, ut mercenariis passim hominibus accenserentur. Et hoc circa *Cornelii Nepotis* (qui supra Scribas Romanos vocat mercenarios) aliorumq; ætatem contigerat. Hic circa nominis indagacionem observandum, quamvis à scribendo literasque ducendo primitus nominati Scribæ fuerint, quòd hoc nomine nihilominus insignirentur etiam illi, qui Scripturas curabant redituumq; rationibus concinnandis componendisq; operam navabāt suam. Uti in *Prælectionibus publicis Amplissimus Dn. Kirchmajerus, plura hanc in rem adducit ex Cass. Barthii l. 55. Advers. C. 1.*

§. 3. Porro Scribæ à veteribus nuncupabantur generaliter & indifferenter omnes Scriptores, qui aliquid scripserant. *Erant enim (sunt verba Guid. Panciroli de Magistrat. Municipal. pag. 195.) plures Scriptores in civitate, quorum aliqui Tabularii, quidam Scribæ, nonnulli Logographi, alii Censuales vocabantur: sed omnes generali vocabulo Scribæ & Tabularii.* Illorum verò qui propriè Tabularii & Tabel-

lio-



liones dicebantur, munus erat, nō tantum eorum, qui tributa solvis-
sent, nomina in codicem referre, sed & tabellas, teste *Isidorō*, portare
& assignare. Scribæ etiam illi dicebantur, qui Magistratum seu
Duumvirorum, aut Defensorum civitatum acta notabant; quod &
ipsum munus erat personale. Dicebantur & Logographi, qui tribu-
torum negotia scribebant; Scribæ vocabantur & Censuales, qui sub
Magistro census publica monumenta describebant, apud quem te-
stamenta aperiabantur, & publicabantur. Sed imprimis patrimo-
nium cuiusq; describebant. Nuncupabantur & Notarii, qui non
modò characteres & vocabula scribebant, sed & ex ore loquentis
sententias excipiebant, & notis velocissimè ductis dicentem asse-
quebantur, quod pluribus ex *Constantino & Arcadio demonstrat Pan-
cirolus l.c.* Horum Scribarum officium dicebant prisci *Scriptum fa-
cere, Scribatum aut Scribam agere.* Solebant n. apparendo Magistrati-
bus se comites præbere cum pugillaribus, (Inde Amanuenses dicti
in vitâ *Flavii Vespasiani* ap. *Svetonium pag. m. 445.*) ut si quid fortè
memoratu dignum occurreret, exceptum consignarent inq; literas
referrent. Horum ab illis, qui scribenda exhibuerunt, variam sortiti
denominationem sunt. Fuerunt autem Scribæ pecuniâ con-
ducti, qui Librarii notione propriâ veniebant, quorum libros vetu-
state corruptos transcribere, libellosq; describere Superioribus mu-
nus requirebat. Itaq; hos Scriptores vocabant veteres *Librarios* à li-
bellis, ut *Horatius* arte poet:

*Ut Scriptor si peccat, idem Librarius usq;
Quamvis est monitus, veniâ caret; &c.*

Et hi postmodum dispescebantur in Librarios Latinos & Græcos.
Unde *Marcus Tullius* alibi ad Amicum hoc modò scribit: *peto à te, ut
quàm celerrimè mihi Librarius mittatur, maximè quidem Græcus, qui
mihi exscribat hypomnemata.* Erant & Scribæ penes Romanos (testis
est *Varro de Re Rusticâ*) rerum domesticarum, ut columbarum, gal-
linarum & piscium. Inter omnium autem Scribarum ordines infimæ
dignitatis Scribæ æstimabantur, qui Navalis Scribæ munia susti-
nendo obibant, quorum tamen officium maximis vitæ discrimini-
bus expositum atq; obnoxium fuerit.

§. 4. Fuerunt etiam Scribæ publici apud Romanos, qui
Magistratibus & Reipublicæ operam collocabant suam. Horum in
Prin.

Principe omnium terrarum civitate (sic Romam appellat Cicero o-
 ratione habitâ antè , quàm iret in exilium) tanta copia fuit , ut in cer-
 tos ordines decuriasq; describerentur. Decuriarum istarum men-
 tionem iniecit *Svetonius in vitâ Claudii* p.m.276, & confirmavit, quòd
 corpus *Drusi* parentis *Claudii*, qui mundo digrediebatur in æstivis
 castris, per municipiorum coloniarumqve primores, *suscipientibus*
obviis Scribarum decuriis, ad urbem advectum fuerit. Decuriæ ve-
 rò Scribarum aliæ *Quæstoriorum*, officio penes *Quæstores* qui fun-
 gebantur; *Ædilitiorum* aliæ, qui *Ædilibus* factitandis scripturis da-
 bant operam: Aliæ *Prætoriorum*, qui à *Prætoribus* lecti erant: *Cen-*
soriorum aliæ, qui *Censoribus* inserviebant, dicebantur. *Coxfer*
Livii lib. 30. Hinc ob eorum numerum tempore *Ciceronis* parvi
 pendebantur, apparitorumq; loco habebantur, quòd testatur
Johann: Thomas Freigius lib. 3. Cicer. in Verrem notis p. 514. Adeò au-
 tem contempti fuerunt, ut, cum etiam ex Scribâ *Ædilis* evasisset *Cn.*
Flavius Annii Filius, adolescentes complures *Nobiles* eidem as-
 surgere, honoreq; eum decente prosequi repudiarent. *Et ex Pisonis*
annali recenset Aulus Gellius Noct. Att. l. 6. C. 9. pag. m. 166. Cneus,
(ille) Flavius patre libertinò natus scriptum faciebat: Isq; in eo tem-
pore Ædili Curuli apparebat, quo tempore Ædiles subrogantur: Eumq;
pro tribu Ædilem Curulem renunciaverunt. At Ædilis, qui comitia
habebat, negabat accipere neq; sibi placere, qui scriptum faceret, eum
Ædilem fieri. Cn. Flavius Annii Filius dicitur tabulas posuisse, scriptu se
abdicasse. Isq; Ædilis Curulis factus est. Attamen licet parum dignita-
 tis ex se haberent & pecuniâ redimerent scriptum; ex munere ipso
 aliquid honestatis assecuti fuerunt. *Qua* propter *Cicero in Verrem*
lib. 3. Ordo Scribarum, inquit, est honestus. Quis negat? Est verò
honestus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ periculaq; Magistra-
tuum committuntur. Itaq; ex his Scribis, qui digni sunt illo ordine,
patribus familias, viris bonis atq; honestis percontamini. Nec etiam
omnem aditum ad honores majores illis denegatum fuisse Cicereji,
qui apud Scipionem Africanum Majorem gesserat Scribam, condo-
cefacit exemplum, dum annotante Valerio Maximo l. 4. Dict. Fact:
memorab. C. 5. cum in Campum Africani Filium Cn. Scipionem
prætoris comitiis deduxisset, omnibusq; se centuriis Scipioni ante-
ferri vidisset, extemplò descendit, abjectaq; vetogâ candidâ Prætor

B

fa-

factus est. Infuper & ipse *Consularis vir Cicero in Verrem l. 3.* sibi haud dedecori duxit ad Scribarum provocare iudicium: *Ad eos, ait, me Scribas revoca, si placet.* Ex his igitur adductis patet quàm luculentissimè, sententiam illam *Sigonii* non mereri assensum, quando *lib. 2. de Antiq. Jure Civit. Rom. C. 14.* scripsit, quòd omnis Scribarum ordo inhonestus quondam censeretur. Apertis enim verbis contrariatur *Ciceroni* loc. cit. Sed hæc de Latinorum Scribis dixisse sufficiant. Succedit

De

GERMANORUM SCRIBIS

CAPUT TERTIUM.

§. I.

Nunc ut ad Teutonum deniq; accessum faciamus Scribas, ordo tractationis postulat. In antecessum autem ex veteribus rerum Germanicarum monumentis observandum apprimè est, ante *Pipini, Caroliq;* cognomento suò *Magni*, Francorum Regum invictissimorum tempora Scribas Teutonicos planè fuisse nullos. Characteres enim informes licèt maximè largiamur *Gothis* quosdam ante dictum tempus, nihil tamen hæc nostræ sententiæ efficiunt. Ulteriùs asserimus certoq; statuimus, ante *FridERICI II. & Rudolphi I. Habspurg.* tēpora, literis characteribusq; Germanicis nullas tabulas publicas aut rationes expressas fuisse atq; descriptas. Nā acta publica nō nisi vel Græcis vel Latinis literis figurisq; exscribebātur eousq; dū gloriosissimus *Rudolphus I.* Imperator circa annū Christi 1273. comitia habuit *Noribergæ*, publiceq; edixit, ut instrumēta post hæc omnia lingvā Teutonicā, non ut antea, in Latinā conciperentur vernaculoq; Nostrorum idiomate conscriberentur. Et sic post hoc edictum, Scribarum variorum apud Nos nata nomina & munia sunt.

§. 2. Scribendi quidem artē omni studio, industriā ac curā apud Germanos propagare sategit *Carolus Magnus*, hancq; in rem Grammaticum libellum, teste *Dresserò*, *Millen. s. p. 381*, sermone Francico, sed characteribus Latinis conscribere primò ipse cocepit, difficultate tamen rei deterritus, autore *Eginharto*, & aliis negotiis ipsaq; ve

mo-

morte impeditus, opus, quod inchoasset, ad finem perducere non potuit exoptatum. Quare & Successores de Germanicæ lingvæ indole rudi & indomitâ (ita eam suspicabantur,) fermè desperarunt. Hujus rei testis adducendus est *Goldastus tom.3. Alaman: rerum l. 2. fol.33*, ubi: *Serò, ait, scriptus est Germanicus sermo, & videtur Caroli M. primo studiò factum, ut idem in literas paulò fusiùs referretur: quippe & mensibus ab illò nomina imposita sunt & alia quædam ad vulgaris lingvæ usum excogitata.* Quare (idem porrò subdit) *Franci ad fidem demùm Christi conversi, tabulas conventionum vulgares, chartasq; & leges ipsas ac diplomata sermone Latino scribi curarunt. Arbitror autem & religionem stimulos Nostratibus addidisse, quò eam addiscerent lingvæ, sine cujus peritiâ religio non videretur constituta. Libri sacri, veteres Interpretes, conciliorum decreta non nisi latinè scripta extabant. Durabat equidem & Græcæ lingvæ usus, sed paucis, nec nisi gustu aliquò frequentis lectionis notus. Mystera sacrificiorum & ceremoniarum latini libri continebant. In totum autem constat tabularum Germanicè scriptarum recentem esse usum, & sunt anni pauci, ex quò hæc lingvæ vulgò scribi cœpta est.* Hactenus *Goldastus*, cujus verba paulò prolixiora in gratiam originis Germanicor. Scribarum hîc percensuisse non pigeat omninò. Et accedunt verba *Nobilissimi Cõringii*: *Antiquissima Imperii constitutio, quæ Nostratis sit lingvæ, Friderico II. Cæsare condita.* Quare ejus rei ut insolitæ hactenus disertim meminit *Godofredus Agrippinensis ad S. Pantalcon*, monachus. Neq;ve credo aliquam rerum paterno sermone, ante isthæc tempora consignatam *ullibi reperiri*: Hactenus sanè nihil tale editum in lucem est. Quæcunq; ergò monumenta à Nostris majoribus tradita sunt literis, si illud ævi antecedunt, peregrino sunt sermone condita. Confer *Celeberrimi Dn. Kirchmajeri lib. Comment. in Tacitum de German. pag. m. 40.*


§. 3. Hæc cum ita sint, quâ fronte *Jonas Arngrimus de vetustate Scriptionis Islandicæ*, scribere audeat: Non credendam esse, ipsos Aquilonares omninò caruisse Scriptoribus rerum à se magnificè gestarum; cum longè ante inventas literas latinas Gothi suas literas habuerint. Cujus rei indicium sustineant eximie magnitudinis saxa, veterum bustis ac specubus, apud *Gothos* affixa:

fixa : quæ literarum formis inculpta , persuadere possint, *ante universale diluvium vel paulò post Giganteâ virtute ibi erecta fuisse*. Nam gravissimè hallucinatur , dum originis lingvæ Germanicæ nescius ante universalem cataclysmum Gothis literas vindicat proprias, cùm tamen eorum lingua ipsa nondum extitisset. Adde quòd *Tacitus* suo adhuc ævo , *literarum* (sunt ejus verba) *secreta viros pariter atq; fœminas ignorasse* , expressè testetur , & *monumenta tumulosq; Græcis literis inscriptos in confinio Germaniæ extitisse* memoret. Literas Germanicas ante Latinas fuisse exaratas, nos *ἄπο τῶ μωσ* inficiamur. Rationes Lege ap. *Dn. P. Kirchmajeri Comment. Tacit. pag. 269.*

§. 4. Quamvis verò Scribæ olim Germanici non extiterint ut ex dictis elucescit , Scribis tamen suis variorum ordinum , qui latino quidem, sed admodum corrupto & provinciali idiomate acta & instrumenta publica consignabant , non omninò caruerunt Veteres Germani. Conventionum enim tabulas & leges istorum latinò idiomate conscriptas loc. cit, affirmat *Goldastus*. Hinc cùm Carolus M. institueret Ecclesiasticum ministerium , ejusdem caput Apocrisarium seu Archi Capellanum, quem nos nunc temporis Archi Cancellarium vocamus , simul ordinavit. Huic autem apud Frâcos olim adjunctus erat Cancellarius; Cancellarioq;ve associati prudentes & intelligentes ac fideles viri Scribæ fuere. Quod exponit pluribus *Dn. Kirchmajerus in prælect. publicis*. Nos, cùm portus excipiat,

Deo immortales Gratias
hîc solvimus.





B.I.G.

Farbkarte #13

QR. 520, 22.

(X 1853639)

B. m. II, 4'

IIa
672

DISPUTATIO PHILOLOGICA

De

SCRIBIS VETERUM GRÆCORUM, ROMANORUM atq; GERMANORUM,

Quam

Divinâ annuente Gratiâ,

In celeberrimâ Wittebergensi Academia,

Ad diem 15. April. A. R. S. M. DC. LXIX,

In Auditorio Minori, horis matutinis,

publica Eruditorum censura

exponunt

PRÆSES

M. JACOB. ERNESTUS Bergött/

Hydropolitanus,


&

RESPONDENS

JOHANNES VVOLFGANGUS Bürger/

Onoldinus,

Franci.



WITTEBERGÆ,

Typis MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.



36